

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Medica Sistens Naevorum Origines**

**Gruner, Christian Gottfried Gruner, Christian Gottfried**

**Ienae, 1778**

**VD18 13134485**

Pars II. Semiotice Et Therapia Naevorum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15050**



P A R S II.  
SEMIOTICE ET THERAPIA  
NAEVORVM.

§. LIII.

*Introitus.*

Cum male fundata sit hypothesis de naevis, per phantasmiam matris productis; omnium maxime vana, ridicula et superstitiosa est illorum opinio, qui homini, naevis insignito, varia hinc bona et mala *praesagire* haud erubescunt. Quare etiamsi hanc materiem ad medicorum partes haud pertinere arbitror, tamen et iucunditatis, et complementi gratia visum est, in sequentibus subiicere epitomen eorum, quae MELAMPVS et H. CARDANVS de signis ex naevis litteris consignata reliquerunt, additis nonnullis animaduersionibus.

C A P V T I.  
MELAMPODIS ET CARDANI  
DE  
PRAEDICTIONE EX NAEVIS PLACITA.

§. LIII.

*MELAMPODIS aetas.*

De MELAMPODE pauca notabimus *i*). Antiquus auctor esse videtur, quod PTOLOMAEO Regi librum inscripsit. Sed si dicendum, quod res est, orationis genus et verba eum longe recentiore esse ostendunt. Is graece bis, scilicet Romae 1505. 4. et Franc. 1587. 4. a SYLBVRGO editus est. Latine primum apparuit Venetiis 1552. fol. edente NICOLAO

*A*) Vide, si placet FABRIC. B. Gr. L. I. C. 15. p. 98. seq.

COLAO PETREIO COREGRAEO, et Lutetiae Parisiorum, interprete CLAUDIO MARTINO LANNENDERIO, Doctore Medico Parisiensi, apud THOMAM IOULLY 1658. adiecta H. CARDANI, medici Mediolanensis, Metoposcopia, qua editione equidem sum vsus. Ille MELAMPVS physiognomiae operam dans, quae a Graecis etiam Metoposcopia fuit nominata, librum suum sic inscripsit: MELAMPODIS *scriptoris sacri diuinitio ex naeuis corporis, ad Regem PTOLEMAEVM.* Cuius tantum fragmentum perexiguum superest, ex quo quia plura addere magnitudo voluminis prohibet, tantum epitomen exhibere lubitum est. Vereor tamen, vt auido lectori satisfaciat.

## §. LV.

MELAMPODIS *sententia.*

Debet vero ex MELAMPODIS doctrina, *naeuus in fronte viri, ostendere multorum bonorum dominum, in mulieris vero fronte dominam: Naeuus extra supercilia viri, uxorem bonam et formosam, extra supercilia autem mulieris, cum colore flauo, maritum diuitem et formosum: Naeuus in viri superciliis, infelix matrimonium, quia quinque uxorum maritus futurus sit; idque etiam in muliere locum habiturum; Naeuus in naso viri cum colore flauo, insatiabilem coeundi ardorem et ipsum naeuum in naturalibus; In labiis viri ac mulieris maximum heluonem; In axilla viri et mulieris diuitem atque forma praestantem coniugem; supra cornu quissimum hominem; at vero in mulieris mammilla, malam et rixosam: In genitalibus intemperantes in re venerea, in genibus viro uxorem diuitem, in dextro genu mulieris probitatem, in sinistro fecunditatem cet.*

## §. LV.

H. CARDANI *sententia.*

CARDANVS vt homo vanus et nugarum plenus fuit, ita etiam ridiculus ex habitu corporis et naeuis vates extitit; dum in Metoposcopiae Libro XIII. et vltimo sequentia protulit.



tulit. Futurum virum, qui naeuum habet in dextro arietis loco, felicem in bello, extra patriam nobilem et feminarum donis ditatum, mulierem vero in matrimonio secundam atque ingeniosam; naeuum in dextera pectoris parte, utrique sexui polliceri prosperam fortunam in negotiis, vitam longam et optimum finem; in dextera parte cancri situs, post paupertatem diuitias, vitam longam et fortunatam, mulieri haereditates ex consanguineis; Naeuum in dextera parte leonis, alieni boni possessionem, ingenium subtile, bonam memoriam et principum fauorem, feminae vero inimicorum odia et breuem vitam, cui simillimus naeuus in parte dextera ventris, in dextera parte librae principum approbationem et lucrum maximum, quocum conspirat naeuus viro sub testibus, mulierum amores, feminae sub vulua virorum amores portendens; In loco dextro Saturni virum felicem, ingeniosum et diuitem, feminam fortunatam, ingenio subtili praeditam; In loco sinistro arietis viro infortunia belli, extra patriam bonorum spoliationem; feminae infastum matrimonium, filiorum clades, morositatem et rixandi studium; In parte sinistra pectoris sexui utrique calamitates, vitam aerumnis et anxietatibus plenam, et finem vitae funestum. In laeua tauri parte viro rixas et altercationes cum vxore, officium carnificis, sorores meretrices, amissionem bonorum et grauia vulnera; in hypochondrio sinistro viro mortem violentam vel pestilentiam, mulieri mortem in partu; In sinistro geminorum loco testis alterius iacturam, filiorum spem nullam, mulieri duo viros, infortunia, monachorum familiaritatem; At in humero sinistro viro lites, inimicitias et bonorum amissionem, feminae multa miseriarum genera; In situ sinistro librae, viro luxuriam, abominanda carnis delicta, homicidia indeque consequentia supplicia, mulieri rem meretriciam; in viro sub testiculo carceres et miseram mortem, feminae sub vulua immedicabiles morbos, et mortem ex paupertate; In loco sinistro scorpium virum auarum et homicidam, feminam valetudinariam, meretricem, monachorum amicam, natorum interfedricem; In inguine sinistro et pudendis viro tristissimam et breuem vitam, mortemque infamem, mulieri anxietates plurimas et mortem in partu. Neque minus in naeuorum significatu, quoad lineamenta, difertus CARDANVS est, et docet, virum et feminam in parte dextra

dextra frontis naeuum habentem, supra lineam Lunae, fore fortunatum, praecipue in coniugio; In sinistra parte lineae Lunae adulterum, a Martis filijs contumeliose habitum, similiter feminam; In parte dextra lineae Martis, virum in matrimonio et militia valde felicem, mulieri autem fortunae bona multa, ab ingenio et successione consanguineorum; laeua parte eiusdem Lineae Martis virum, proditorem et homicidam, feminam auctorem mortis viri martialis; In parte dextra Lineae Iouis virum heredem domini seu Ecclesiae maximam dignitatem consecuturum, item mulierem: In situ laeua lineae Iouis virum impium, fraudulentum et homicidam, mulierem omni scelerum generi deditam, in frontis laeua parte, inter Iouis et Martis situationem, ad litigia, contentiones et odia marem feminamque pronos, nec non magnam corporis laesionem; In parte laeua frontis, inter situationem Lunae et supercilij, virum feminamque petulantiae ac libidini obnoxios, in senectute paupertate atque miseria perituros; In parte laeua oculi versus tempora virum nefarium homicidam, latronem, turpi violentaque morte periturum, mulierem vero adulteram, cuius vita brevis futura sit. et calamitosa; in inferiori et dextra parte, ad luxuriam proclues, et quo propius naribus haereat naeuus, eo procliuiores; inter oculos cum linea, sodomitam, sororum corruptorem et supplicium gladii; Quatuor lineas in fronte cum naeua versus partem sinistram, latronem; lineam in modum crucis mulierem corruptam, ante et post matrimonium, et duorum maritorum coniugem; denique naeuum versus  $\alpha$  goma dextrum cum ecclesiasticis commercium et mortem per venena cet. Sed de his commentis ac nugis haecenus. Iam quid sentiendum sit, paucis videamus.

§. LVII.

*Animaduersiones ad istam theoriam, quae astrorum affectionem supponit.*

Boni illi viri ad confirmandam lepidam istam theoriam temere adhibent astrorum affectionem, rati, vt ad bonas vberesque segetes colligendas multum intersit nosse, quomodo caelum affectum compositaque sidera sint, ita etiam in coitu et

pro-





procreatione sobolis potissimum attendendum esse, sub qua affectione caeli infans primum spiritum duxerit. Nam cum ad rectam valetudinem decentemque corporis symmetriam, robur et formam necessaria sit sedula astrorum obseruatio, tum etiam ad optimos mores perquam accomodata, quia singuli planetae, quaelibet zodiaci signa et caeli, vnaquaeque regio singulis humani corporis partibus dominantur. Sed haec iis relinquenda putamus, qui phantasiae ludibriis gaudent; sufficit mihi Dauid, non Oedipo, ex SINIBALDO *k*) allegasse patronos genitalium, nempe *Iouem*, qui regat semen cum sanguine; *Venerem*, quae vtriusque sexus naturalia; *Lunam*, quae pudenda muliebria rel. Ex his superstructis opinionibus, tam ad mores hominum, quam etiam ad fata ausi sunt concludere, et inter signa etiam naeuos numerare, quos existimarunt, quosdam esse characteres, a planetis in partibus corporis sub signis, quibus dominantur, exaratos *l*).

§. LVIII.

*Sententia de astrorum influxu refellitur.*

Attenta consideratione hanc astrologorum opinionem ridiculam et plenam superstitionis deprehendimus. Haec hypothesis fere ex Chaldaeorum dimanauit philosophia, qui quendam terrenorum consensum cum caelestibus dari contenderunt, rati, actiones nostras et vitam ipsam pendere ex stellis cum erraticis, tum fixis, humanumque genus multiplici earum cursu regi. Praecipue autem existimarunt, planetas esse causas cuiusque boni et mali, prouti hora natali dispositi fuerunt. Idque fieri adiuuante zodiaco, cuius animalia vel masculina, vel feminina essent et generationes sexus sui adiuuarent. Fuerunt etiam quidam Chaldaei, qui vnamquamque partem humani corporis attribuerunt vniciuique signo, cui cum illa intercederet quaedam sympathia, arietem caput nominantes, taurum collum *cet. m*). Sed haec pro-

*l*) Geneanthropia p. 174.

*ll*) SINIBALDVS l. c. p. 172.

*iii*) STANLEY Hist. philosophiae p. 1134.

profecto sunt cerebroforum hominum fatua somnia. Valde enim ridiculum videtur, habere sub ipsis natalibus aliquem characteris praesidem inter sidera, qui libidinis aestum et Veneris pruritus efficiat. Periculosa etiam est sententia, cum sceleratus quisque vitam male actam ab astris repetere sicque se excusare, omnem mentis prauitatem astrorum crudelitati tribuere possit. Nam dum motus animi fere malae fortunae fabri sunt, plerique autem homines prudentia non vtuntur, extraneam causam libentius accersunt, quo magis ius affingere licet, quicquid fuerit libitum. Qua de re haec doctrina, tanquam superstitionis magistra, quae omnia fato subiiciat, est reicienda. Nunc adhuc nobis restat, vt de influxu physico disputemus, praecipue cum nostris temporibus egregius MEADIVS *n*) et post eum quidam alii non contemnendi viri de vi solis et lunae in corpus humanum multa disseruerunt. Sed ista planetarum virtus non fieri potest, nisi ope radiorum, planetarum autem radii tantum a sole sunt, nec ex vno planeta ad alterum reflecti facile solent, nisi fortuito; vnde probabile non est, tam debiles radios, casu ad nos peruenientes, tam nobiles effectus edere posse. Quod autem ad MEADIVM attinet, notandum est, eum non nugis operam nauasse, sed vt philosophum decet, armis Neutonianis instructum, pro ista sententia strenue pugnasse. Sed egregia argumenta Ill. ZIMMERMANNI *o*) istam opinionem non sinunt amplecti, vel in partes doctissimi Angli transire. Relictis ergo, quae ibi dicuntur, placet potius reliqua argumenta contra ista signa physiognomica ex naevis desumpta profsequi.

§. LVIII.

*Praedictio ex naevis regulis artis physiognomicae repugnat.*

Consideranti mihi hominem primo secundum principia anthropologica, tanquam e duabus partibus constantem,

K

deinde

*n*) MEADIVS *von der Herrschaft der Sonne und des Mondes über den menschlichen Körper*, v. Opusc.

*o*) ZIMMERMANN *von der Erfahr. T. II. p. 105. seq.*





deinde magnam consensionem et relationem harum partium inter se, qualis maxime est animae cum cerebro, cerebri autem tam propter nervos, quam propter vasa rursus cum reliquo corpore; non possum non, quin statim sequens cogitatio mentem subeat, *nullam in nostra machina mutationem oriri posse, nisi simul quidam influxus in statum animae nostrae adsit; et viceversa etiam in omnibus actionibus animae talis adsit influxus in nostram machinam, etsi confiteor, effectus talis influxus plerumque nostrorum sensuum aciem fugere p*). Ex his porro consequitur, *ut quaelibet notabilis et prae ceteris se efferens animi dispositio, cum quodam naturali et inuoluntario caractere, in toto habitu corporis, praecipue autem in vultu, coniuncta sit*. Illae externae notae, tanquam quaedam significatio, considerari merentur, per quam cuilibet spectare licet varios animi motus, eodem expressos modo, quos a corde dimanarunt. Spem, timorem, laetitiam, melancholiam rel. quibusdam signis se ostendere, quotidiana docet experientia. Notum porro est, formae venustatem non tam ex lineamentorum concentu, ex rubore genarum cet. oriri, sed potius notas bonitatis, alacritatis, ingenii et mansuetudinis, pulchritudinis naturam efficere *q*). Hinc iure meritoque concludere possumus, deum faciae vitae auctorem voluisse, ut perturbationes animi in ipsa voce, gestu et potissimum in vultu se efferrent, ideoque homo homini lingua non fallaci et ab omnibus cognita animi sensa significaret. Potissimae autem notae talium motuum in vultu, tanquam nobilissimo cacumine, eminent; nimirum quemadmodum in foro referuntur, et promulgantur omnia, quae in tota ciuitate peraguntur, ita totius quoque animi tumultus ac seditiones in facie relucunt. Ut scite proinde dixerit quodam loco princeps humanae facundiae TULLIVS: *Omnis motus animi suum quendam a natura habet vultum, et sonum, et gestum*. Et OVIDIVS:

*Heu, quam difficile est, crimen non prodere vultu!*

Nunc

*p*) Cl. VLRICHS *Anleitung zu den philos. Wissenschaft T. II. p. 411.*  
*q*) HOME *Grundsätze der Kritik T. I, C. XV. p. 560.*



Nunc primarias istas notas ex HALLERO r) adnotemus. Amor, admiratio, agnoscuntur fronte sursum ducta, oculis eleuatis, vnaque palpebris. Occipitalis agit, et palpebrae leuator. Curiositas os simul aperit. Laetitia et risus oculos habent pene clausos, angulum oris sursum ductum, cutim narium corrugatam, os distractum per buccinatorios musculos. In multis hominibus fouea tunc in gena oritur. In fletu et tristi affectu labium inferius detrahitur, vt facies longior videatur; anguli labiorum distrahuntur a triangularibus, oculus clauditur, et pupilla se sub palpebram superiorem recipit. In ira et odio labium inferius super superius eleuatur, frons descendit attractu, et rugis caperatur. Contentus inaequalem habet vultum, vt alter oculus pene claudatur, alter despiciat. In terrore muscoli validissime os et oculos aperiunt, manusque eleuantur.

## §. LX.

## Continuatio.

Ex his conficitur, principes affectus in vultu residere debere, sed ad illos recte cognoscendos iudicio probe subacto, experientia et vsu multo opus esse, nequaquam vero phantasiae ludibriis, quae aciem mentis obtundunt ac hebetant, iudicium infirmant. Praecipue autem ad oculos attendendum est. Praeclare enim CICERO s): *Animi imago, inquit, vultus est, indices oculi; Nam haec est vna pars corporis, quae quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere: Oculi enim sunt, quorum tum coniectu, tum hilaritate motum animorum significemus apte. Nam oculos natura nobis, vt equo et leoni setas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit.* Illa autem oculorum vis rursus ex membranarum pelluciditate ac claritate, nec non motione cognoscitur musculorum. Nam ex anatome perspectum habemus, bulbum oculi per quatuor musculos rectos, nempe per superiorem attollentem vel superbum, per inferio-

K 2

rem,

r) Element. Physiol. T. V. p. 590.

s) In L. III. De Oratore, ni fallor.



rem, deprimentem vel humilem, per externum, abducentem vel indignabundum, per internum adducentem vel bitorium et per binos obliquos varie moueri, ac sic crebriori quadam motione alterutrius musculi oriri debere notam cuiusdam affectus, ita, vt ambitiosum; inuidiosum, bibonem, voluptuarium et amantem aspectu solo detegere possimus. Ex his abunde patet, si musculi, qui sunt alicuius affectus proprii, in aliquo homine frequentius agant, eos ob repetitionem debere inualescere prae reliquis, ideoque etiam eo tempore, vbi animus non perturbatur, tamen principis affectus signum in facie superesse. Quale luculentum exemplum in eruditis profundae meditationis habemus, quorum vultus satis ostendit, quantum vel ipsa repetita cogitatio valeat. Inde enim oritur contractio labiorum et palpebrarum, detractio et diminutio oculorum, magnitudo rugarum in fronte, imago diuini ingenii et profundae meditationis *t*). Ex his etiam elucet, physiognomiam, nisi velimus ludicram ac incertam, potissimum in consideratione talium notarum musculis faciei expressarum consistere; eaque de causa flocci pendendam CARDANI sententiam de naeuis esse. Hi enim sunt verae corporis habitus declinationes, nec ad structuram musculi pertinent, quibus etiam nec reguntur, nec mutantur, adeoque nec naturam artis physiognomicae constituunt, nec aliquid vere probare possunt.

§. LXI.

*Naevi tantum ad fortuita pertinent, ideoque nihil in physiognomia valent.*

In diiudicandis moribus hominis hanc physiognomicae primam regulam ante oculos habere debemus, *vt semper spectemus notas essentialis physiognomicas, minime autem accidentales.* Ego vero *essentialis* nomino, quae omnibus insunt hominibus, v. c. musculi faciei, oculi et. omnes autem alias  
inter

*t*) PLATTNER Anthropol. p. 242.

inter *accidentales* referendas esse censeo; quo pertinent etiam naevi. Nam si attentà mente in eos inquirimus, eos esse rarissimos, ideoque vix memoratu dignos inuenimus. Porro gignuntur fortuito, per pressionem quandam, partum difficilem, rel. vnde, quam parum iis in arte physiognomica sit tribuendum, clare patet, praesertim cum in omni praedictione physiognomica bene attendi debeat, vtrum natia sit, an per morbos producta quaedam deformatio? Experientia enim constat, vehementes dolores, quos calculus vel podagra, vel aliud malum effecerat, incredibile, quantum os immutasse, ac perfectam imaginem quorundam detestabilium affectuum reliquisse, etsi mores hominis integri essent. Qua de re vt non solum naeuos ex arte physiognomica excludendos censeo, sic ceteris signis, a quibusdam bonis viris prolatis, nihil fidei tribuo, v. c. quod, SINGBALDO auctore *u*), aurea caesaries, crines nigri et crassi libidinis indices sint: haec enim casu sic existunt. Idem sentiendum est de naso incauo et ante frontem rotundato, tanquam teste libidinis locuplete; nam per partum difficilem hoc facile oriri poterat. Alii physiognomi ad foueolam in mento quorundam hominum impressam prouocant, et nescio, quid inde praesagire se posse contendunt, quasi vero illa forma non ab concrezione imperfecta symphyfis ossis maxillae sit orta. De signis ab auribus desumptis idem iudicato, quia apud Europaeos ista forma fasciis arctioribus vnice debetur, vt alia plura taceam, quae iam multis allegare nec lubet, nec licet.

§. LXII.

CARDANVM *boni physiognomi dotibus non instructum fuisse ostenditur.*

Prima boni physiognomi dos est, vt iudicio acerrimo et optima facultate obseruandi sit praeditus, vnaque cautus,

K 3

ne

*u*) l. c. p. 165. seq.

ne viuidae phantasiae ludibriis ad falsas repraesentationes deducatur, vel angelos in caelo canere audiat. Etenim hac ratione valde imperfecta et manca signa pro certissimis et omni exceptione maioribus venditabit. In hoc vitium incidit *CARDANVS*, qui mira magnaue sapientiae ac stultitiae mistura erat, ingenio fecundo et iudicio per motus animi praecipitato, quo factum est, vt deliro, quam sapienti interdum similior esse videretur. Talis igitur cum esset, multa de se iactauit portenta, insomnia, visa, genios rel. quae capitis sunt, tribus Anticyris digni, aut superstitione ad insaniam redacti, aut splendide et nugaciter mentientis *v*). Quare *CARDANO* parum fidei tribuimus, dum enarrat sua somnia physiognomica. Deinde requirimus, vt obseruator ab omni arbitraria enunciatione liber sit. Sed contrarium in nostro *CARDANO* euenit, dum statuit, gigni hominum dispositiones generalibus siderum affectionibus, et vanissimo astrologiae studio ita fuit deditus, vt exinde seruatoris diem natalem, vitam et gestorum narrationem erui posse contenderet; id quod eum de religione suspectum fecit, et atheismi reum *w*). Post nobis id erit notandum, vt in praedictionibus physiognomicis semper physicas notas a moralibus bene distinguamus, neque sic concludamus, iste homo gaudet notis cuiusdam affectus, est ergo etiam adhuc seruus huius affectus. Ex antecedentibus enim factis patere arbitror, signa perturbationum esse duplicia, quorum alia simul cum adfectu adparent, et, eo se remittente, rursus euanescent, alia ob repetitionem crebram tandem prae ceteris enitescunt, et hominis mores produnt. Sic v. c. in infantis facie nullum certum motus animi documentum extat, magis in iuuentute; tunc enim muscoli aliquam firmitatem et impressionem adipiscuntur, vt post haec nullo modo deleri possint, etiamsi temperies moralis fuerit immutata *x*). Quae si mutari potest, oportet nos in iudicando cautos esse, donec quasdam actiones obseruemus, per  
quas

*v*) BRVCKER Inst. Hist. Philos. p. 703.

*w*) BRVCKER loc. cit.

*x*) HOME l. c. p. 570.

quas certiores facti sumus, hominem talem esse, qualem ex physiognomia iam dudum praesensimus; vnaque ad omnes res circumstantes attendere, quia homines exercitatione et assidua attentione sibi certum quendam habitum acquirere possunt, pro lubitu vultum fingendi, quale quid in hominibus aulicis animaduertitur, et in iis, qui regulam politices, in desperatis casibus serenum vultum ostendendum esse, probe callent, et quia elegans vitae cultus postulat in circulis mentem simulare. Tandem memoratu dignum est, physiognomum talem esse debere, qualem rei dignitas desiderat, i. e. qui absque vilo enthusiasmo, per solam aciem iudicii et facultatem dextre obseruandi, experimenta ab hominibus simplicioribus incipiat, et sic per omnes humani generis gradus pergat, donec tandem nihil supersit, quod vel addi, vel demi possit. Tunc ponderando omnia euenta, firma et generalia praemittendo, singularia postponendo, systema physiognomiae conscribat. Hac sola via (crede mihi,) physiognomia venerabilis manebit scientia, nec eius cultus societati hominum aliquod damnum inferet y). Sed haec obiter.

§. LXIII.

*De comparatione naeuorum, et eorum mutatione in morbis quaedam.*

CARDANVS, vti ex ante dictis patet, statuit, quosdam naeuos, in certa cutis regione efflorescentes, quosdam alios occultos sibi similes portendere. In quo vehementer fallitur, quia plerisque historiis fidem minime esse adhibendam duco. Fac etiam, veritatem huius rei non penitus in dubium vocari posse, magna tamen circumspeditione in diiudicandis his visis opus esse censeo. Nam omnia vel fortuita sunt, vel

y) Multa hic adferri possent, ad confutandum LAVATERI eiusque adseclarum enthusiasinum. Sed et rei dignitas, et argumenti nostri vbertas impediunt, quo minus haec vltius expediam. Vehementer autem doleo, in exarandis hisce meditationibus peregre iam Cl. LICHTENBERGII scriptionem non ad manus fuisse.

vel ex consensu partium contingunt, non vero ex necessitate quadam, in quo quemlibet prudentem mecum consentientem habeo. Ex STAHLII doctrina, etiam quaedam signa ex naevis in morbis sunt enumerata *yy*), v. c. bonum esse, naevos maternos, in quo demumcunque membro infideant, neque figuram, neque colorem mutare: at pessimum, eos decolorari, flavescere, emarcescere, vnaque grauia mala aegrum exercere. Sed vereor, vt, nullo respectu aliarum rerum circumstantium habito, ex hoc signo solo pessimum exitum praedicere liceat, etiamsi concedam, in coniunctione aliorum pestiferorum signorum hanc decolorationem summam humorum resolutionem et instans vitae periculum designare posse. Sed pedem hic figamus, in sequenti capite curationem naeuorum breuissime exposituri.

CAPVT II.  
THERAPIA NAEVORVM.

§. LXIII.

*Introitus.*

Auidissimi cum sint homines, scire remedia, quibus cuncta corporis mala tollantur, non defuerunt, qui de extirpandis iis vitiis ac declinationibus, quae venustatem oris et cutis conspurcant, maximeque naevis, cogitent. Quae de re naeuorum examine theoretico absoluto, nostri est, vt diligenter inquiramus, quatenus remedia potissimum sint idonea ad abstergendas istas maculas. In quo recte efficiendo praecepta therapiae generalis sequemur, primo solliciti de iis remouendis causis, quae talem naeuum procreare possunt, deinde vero ostensuri, quid faciendum sit ad naeuos ipsos delendos. Prima igitur indicatio erit: *Vitandae et corrigendae sunt omnes causae, quae naeuos gignere possunt; quas igitur causas in suas redigere classes nunc animus est.*

§. LXV.

*yy*) Confer. III. GRVNERI Semiotic. p. 565.

## §. LXV.

*Varia seminis vitia sunt corrigenda.*

Iam supra ostendimus, sola liquoris feminalis optimi virtute embryonis vitam quasi e somno excitari, et plures eius corporis partes laete copioseque euolui. Necesse igitur est, si qualitates bonae huic liquori deficient, vel si nimia pars seminis aduenerit, vel si semen parcius, tenue aut aquosum, aut nimis crassum, aut tenax fuerit, varias declinationes in embryone oriri. Ex his intelligitur, semen si nimis tenue sit, densantia, neruina ac roborantia esse adhibenda; si tenax ac viscidum, victum tenuem sequendum. Inprimis autem ut semen qualitates suas natiuas retineat, voluptatem et crebram venerem vitandam esse, sedulo monemus. Nam ut modica et rara venus iuuat, sic frequens valde eneruat, omnes corporis functiones debilitat, et ob defectum bonae lymphae semen minus idoneum ad euolutionem germinis efficit. Quare in ea opinione sum, ad moderandum nimium coitum, qui in matrimonio contingit, nihil vtilius esse, nihil praestantius, quam quotidianam tori genialis consuetudinem fugere, et prudentissimum illud LYCVRGI institutum obseruare, qui lege sanxit, ne quis sponsus cum sponsa vna dormiret. Neque iniuria. Quantum enim detrimenti viro inferatur, si vxorem qualibet nocte comprimere vel inuitus cogitur, ne cornua in fronte gerat, exinde patet, quod tales viri breui dierum spatio iuuentutis colorem ac decorem amittunt. Quidni eiusmodi viri semen oporteat modicum et aquosum esse, indeque varias declinationes in fetus habitu oriri? Praecipue autem est prouidendum, ne gonorrhoea vel alio malo venereo infecti coniugium ineant, quia cum ipso semine quandam acrimoniam in embryonem transferre, vlcera, maculas et verrucas excitare, ac ossium epiphytes infestare posse videntur.

L

§. LXVI.



## §. LXVI.

*Abstinencia a coitu post mediam grauiditatem.*

Antea monuimus, concumbendum raro esse. Ex quo consequitur, vt coniuges circa mediam grauiditatem a coitu plane abstineant. Dura profecto lex, sed pernecessaria, nisi velint graues poenas luere. Nam tunc temporis frequenti coitu facile abortus citatur, dolores colici et tormina excitantur, menses intempestiui et haemorrhagiae vteri euocantur, et per vehementem pressionem fetui tales deformitates imprimuntur, quas postea mulierculae naeuos nominant. Haud rarae flebilis euentus obseruationes sunt. Nobis satis est, supra testem idoneum Cl. KLINKOSCH, attulisse.

## §. LXVII.

*Omnes vehementes animi motus sunt vitandi.*

Similiter alio loco ostendimus, quantum damnum vehementes animi motus corpori inferant; hinc omnes causas, vnde gigni possint, diligentissime vitandas esse monemus, cum maxime, quia aduersarii statuunt, naeuos oriri, si grauida a vehementi terrore, propter visum inopinatum fuerit correpta. Huic noxae fugiendae sequentem regulam peraccomodatam proponimus. Filiae ita educantur, vt nihil exhorrescant, v. c. vulnere, mures, araneas rel. sed plerasque res, vel vere, vel opinato adpectu foedas, sine vilo metu ferant vel attingant. Nam in omnibus rebus habitudo phantasiae supprimit vim, et sic ab assuetis non fit passio. Quis enim tenebras horreat, quando saepissime per illas peruagatus est?

## §. LXVIII.

*Thorax est deponendus.*

Hoc instrumenti genus priscis temporibus iam vsitatum fuisse ex TERENTIO z) constat, qui virgines eodem indutas false ridet:

z) In Eunucho.

*Haud*



*Haud similis virgo est virginum nostrarum: Quas matres  
student*

*Demissis humeris esse, victo pectore, ut graciles fient.*

*Si qua est habitior paullo, pugilem esse aiunt: Deducunt  
cibum;*

*Tametsi bona est natura, reddunt curvatura iunceas.*

Thorax arctior omni iure inter causas, quae sexum sequio-  
rem in grauidis mala coniiciunt, refertur, maxime omnium  
gravidis damna infert. Nam nerui et muscoli vehementer  
comprimuntur, stomachus vero sic coarctatur, ut, dum  
versus externa se expandere nequeat, interna viscera com-  
primat, vteri molem diminuat, per consequens fetus  
augmentum tollat, et multas declinationes in corpore fetus  
excitet, quae, sublata hac pessima machina, non orientur.  
Sed hac in re surdis narratur fabula, et mulieres pergunt  
cataphracta arctiori se iunceas et aegras reddere, tabem  
marcoremque citare z).

§. LXVIII.


*Deprauatus appetitus est corrigendus.*

Appetitum deprauatum in grauidis quandoque absur-  
da quaeuis desiderare, inter omnes constat; id quod vitium  
non tantum in grauidis, sed etiam quandoque in virginibus  
cachecticis obseruatur. Quae res nisi sint prorsum absone  
vel nociturae, concedantur. Sed valde prospiciendum est,  
ne qua stomacho vis inferatur, et ob tardam concoctionem  
malus succus nutritius aduehatur, vnde materia ad varios  
morbos, fetum in vtero infestantes, colligatur, et ob particu-  
las crudas maculae gignantur. Interdum iuuat clanculum

L 2

nauseo-

zz) GEORG. FRANCUS A FRANCKENAV in Satyra XII. de Gallico  
Planchette, p. 213. seq. ZIMMERMANN von der Erfahrung T. II.  
p. 548. seq. ROUSSEAV in Emile, Partie 4. p. 244. recuf. in  
T. VIII. de ses Oeuvres Edit. de Neuchatel 1775. BONNAVD *Ab-  
handlung von der schädlichen Wirkung der Schnürbrüste*, Lipsf. 1773.



nauseosa et amara cum his, quae vehementer appetunt, commiscere, ut ea auerfari et iterum respuere discant.

§. LXX.

*Motus corporis nimii sunt vitandi.*

Motus corporis moderatus prodest grauidis, praecipue ambulatio, immo videmus, rusticas grauidas facile ferre solitos labores, modo non cum nimia fatigatione vel valido corporis nixu copulentur. Nam per vehementem musculorum motum sanguinis acceleratur cursus, et facile sanguis fetus per acceleratum humorum motum in telam cellulosam impellitur, et maculae gignuntur. Quare grauidae videant, ne pondera sursum tollant, nixus validos edant, choreis ducendis delassentur. His praemissis, nunc ad alteram indicationem pergamus, quae naeuorum curationem continet.

§. LXXI.

*Signa naeuorum diagnostica.*

Antequam naeuorum curationem ipsam aggrediamur, oportet prius signa diagnostica et prognostica naeuorum recensere, ut quisque intelligat, quid de curatione sit sperandum. Naeui cutanei, si quid video, generatim in *maculas et excrescentias* diuidi possunt; dantur tamen multae naeuorum varietates respectu coloris, figurae et indolis, quas ex Cl. PLENCKIO a) enumerasse sufficiat.

- I. *NAEVVS LENTICVLARIS*, est macula fusca vel nigra lentis magnitudine, una vel plures tales maculae praecipue in facie obseruantur.
- II. *NAEVVS FLAMMEVS*, alias etiam *morphaea flammea*, germanico *Feuermahl*, qui latam maculam, quae vini rubri in faciem quasi effusi colorem habet, refert.
- III. *NAEVVS TVBERCVLOSVS*, est macula, plus vel minus eleuata, tuberculis paruis, et non raro ubique pilis obsita.

III.

a) PLENCK Doctrina de morbis cutaneis, Viennae 1776. p. 34.

III. *NAEVVS CAVERNOSVS*, est excrescentia cutanea, rubri vel liuidi coloris, quae ex tela cellulosa in substantiam cavernosam mutata constat, et sanguinem vel succum gelatinosum in cauernulis suis continet. His naeuis vetulae nomen dant rei, cuius similitudinem prae se ferre opinantur, fici, mori cet.

V. *NAEVVS MALIGNVS*, profundas agit radices, et vasa tumida talis naeui tumorem canerosae indolis repraesentant.

§. LXXII.

*Signa Prognostica.*

Naeui materni, qui leuiores sunt, et in superficie cutis maculas efformant, a minimorum vasculorum distentione oriundas, aucto solidorum robore, tandem per aetatem sponte sua euanescent; at vero qui profundius radices agunt, rarissime, immo nunquam in melius sponte mutantur, quia adeo laesa in loco affecto naturalis structura est, vt vix, ac ne vix quidem in formam elegantem redeat. In prima infantia quilibet naeuus curationi, si quid effici potest, facilius patet, quam in adulta aetate; Ob summam enim tenellorum infantum sensibilitatem facile id consequimur, vt, applicatis congruentibus remediis, alius exinde habitus resultet. Tandem naeuus grauior et profundiori radice praeditus, accedente loci et partium adiacentium sensibilitate, satis aegre extirpatur, immo etiamsi hoc negotium ex voto cesserit, maior tamen cutis deformitas fit, et remedium ipso morbo durius est. Nec desunt funesta exempla, ex naeuo inepte tractato orta, ita, vt vel canerosam indolem indueret, vel ipsa gangraena et sphacelus subsequeretur b). Ideoque vbi ea naeui natura est, vt minus bene remedia, praesertim heroica et corrosiua, ferat, praestat sane eum intactum relinquere, quam temere agendo grauiora mala inducere.

§. LXXIII.

*Varia specifica naeuorum medicamenta.*

Remediorum specificorum naeuos tollentium ingens numerus passim apud auctores collaudatur, quae si dicendum,

L 3

quod

b) Confer. WEDELII Differt. De naeuis maternis, Ienae 1688. et WOLF. THOMAS RAY Diss. De naeuis maternis §. 27. seq. Altd. 1742.



quod res est, nec vera sunt, nec proficua. In his primum commendatur *manus* hominis, longa *tabe extincti*, naeuo tamdiu admouenda, donec frigus partem aegram penetrauerit *c)*, deinde *frictio* repetita *cum lapide tonitruali*, vel ligno fulmine tacto *d)*, tandem *salua ieiuni hominis* illita *e)*. Alii *aquam destillatam Caryophyll. mont. et herbae s. CHRISTOPHORI*, in qua decidua funiculi umbilicalis portio macerata fuit, commendarunt *f)* rel. Quibus si quid proficitur, frictioni vel leni adstrictioni vnice acceptum ferendum est, eaque de causa credo, nec in quouis naeuo promiscue iuuare posse, nec temere mulierculis credulis assentiendum esse.

§. LXXIII.

*Curatio naeuorum flammeorum ceterarumque macularum, superficiei cutis insidentium.*

In naeuis flammeis maculae plerumque tantum planae sunt, quodammodo latae ac rubidae, quas supra ostendimus inde fuisse ortas, quod vascula vim natiuam, propter nimiam distensionem amiserunt, hinc illa reuocanda videtur. Quilibet igitur facile perspicit, totam curationem medicamentis roborantibus et subadstringentibus contineri, tuncque adhibendas esse fomentationes ex aqua frigida, vel ex aqua frigida, aceto vini et sale ammoniaco, vel aqua vegeto-minerali GOVLARDI, vel sola, vel cum aqua calcis viuae applicanda. Cl. THEDENI aqua vulneraria et camphorata etiam hic prodesse possunt.

§. LXXV.

*Naeuorum tuberculorum curatio.*

Ad delendos naeuos tuberculosos praestat, si partes vicinae emplastro adhaesiuo, in quo foramen secundum naeui magni-

*c)* SAVVAGES Nosol. Med. T. I. p. 130. ed. secund. et HELMONT in L. Demens Idea no. 46. p. 270. Opp.

*d)* IVNCKER Conspect. Chirurg. Tab. 37.

*e)* SEIBIZIUS in Specul. Med. pract. T. 2. p. 1802.

*f)* IONSTON in Idea Vniuers. Med. pract. L. VI. T. II. §. 1.

magnitudinem superest, defendantur, naeuus autem ipsi vnguentum ex aequalibus calcis viuae et saponis veneti partibus confectum, superimponatur. Hac via intra duodecim horas naeuus in escharam mutatur, succedente suppuratione tandem deciduam g). Cui remedio vbi naeuus non cesserit, tunc omnes pili nouacula abradantur, vesicatorium largum parti affectae imponatur, excitatae bullulae forcipe aperiantur, et vnguentum Basilicum cum copioso puluere cantharidum acutum imponatur, tandem fomentatio ex aqua calcis viuae cum mercurio praecipitato rubro applicetur. Vbi vero metus est; ne partes vicinae horum remediorum appositu laedantur, iubent chirurgiae magistri, vt in ambitu medicamenta discutientia, camphorata et oleosa apponantur h).

§. LXXVI.


*Excrefcentiarum curatio.*

In excrefcentiis, vbi liber ad partem affectam aditus est, pensitatis antea curatius iis, quae contrariam rationem suadeant, vel ligatura, vel sectio locum habet. Ligaturae praecipue in naeuis pensilibus et angusta basi conspicuis, commode administrari possunt. Sine his, nisi enormes haemorrhagiae metuendae videantur, sectio quam maxime est commendanda. Sic enim vna vice omne vitium iugulatur. Particulares autem operationes quo minus tradam, angustia temporis et scriptionis academicae limites non permittunt. Quare B. L. ad scriptores medico-chirurgicos amandamus, vnaque nostrum laborem finiendum putamus.

g) PLENCK I. C. p. 35. RICKMANN I. C. p. 152.

h) Act. Hafnens., Vol. II. Obs. XII. p. 112.





M V L L E R O S V O

s.

P R A E S E S

**E**x quo hac in academia commoratus es litterarum bonarum et medicinae gratia, totum TE meae disciplinae tradidisti, eamque ostendisti morum modestiam, ingenii indolem, assiduitatem, diligentiam discendique ardorem, vt spem certissimam faceres, TE fore aliquando doctrina scientiaeque praestantia carissimo cuique commilitoni parem, inferiorem nemini. Nec spes fefellit. Nuper enim me nec tale quid opinantem conuenisti rogaturus materiam quandam medicam, in qua vires ingenii experiri liceret, atque tandem eam, quae in naeuis versatur, potissimum eligendam putasti, partim quia haec viribus TVIS conuenientissima esse videbatur, partim quia hic locus erat, vltius exspatiandi et in vtramque partem disceptandi. Suasu ergo et hortatu meo rem TVAM sic peregisti, vt pauca haberem, quae hinc inde allinerem, et magis in voculis singulis, quam rebus me continerem. Vellem tamen pepercisses Cl. TODIO. Vereor enim, ne, dum patronum caussae meae agere videris, ipse in ius voceris, et omni conuiciorum genere, vt illius mos est, afficiaris. Ego vero, qui cl. viri malum os, dicacitatem et mordacem linguam iure, nescio, quo, quauis data vel arrepta occasione, centies sensi, dudum didici spernere tales

